



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Eruditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De animæ pulchritudine ex triplici imagine Dei, & de eius fontali origine,
ad quam naturaliter aspirat. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

demonstrato loco, ad illum concitò properavit cum filio, qui ait: *Pater mi, ecce ignis & ligna, ubi est vitima holocausti?* Audies autem se furturum holocaustum, tanquam verus obediens, ait patri (secundum Chrysolomum in opere imperfecto) Pater, liga manus meas, ne quando confurgam in impugnationem. O verè perfecta obedientia tam patris quam filij.

Pro quo notandum, quòd duplex est præceptum Dei, secundum Alexandrum de Hales in primo scripto, scilicet probationis, & executionis. Primum respicit voluntatem, secundum opus. Voluit ergo Deus quod præcipit, non ut fieret, sed ut facere vellet. Non ut ipse Deus sciret eius voluntatem, sed ut manifestaret eius obedientiam, ad sui & aliorum utilitatem.

Tertius gradus est, obedientia vniõnis, qua scilicet quis voluntatem suam tam in volito, quam in modo volendi, ad eò diuinæ voluntati prælatorumque dispositioni libere subijcit, quòd illorum beneplacitum sit ei summum desiderium, siue prospera sint, siue aduersa, nihil in voluntate sibi reseruans, sed totum ordinationi diuinæ committens, sedulis precibus, ac viscerosa quadam dulcedine clamitans: *Fiat voluntas tua*, eò quòd infatigabiliter fertur ad amplectendum id, quod diuina disponente vel permittente prouidentia, circa se conspexerit actitari. In quo completur, quod scriptum est. *Qui adheret Deo, vnus spiritus est cum eo.* Vnde (secundum Bernardum) sic per amorosam vniõnem voluntatis in Deum transfundi, est deificari. O quanta fruitur hic spiritus libertate, ac mentis tranquillitate altior celo leuatus, ac super dilectum innixus. Cui profectò, si fideliter, si perseueranter innicitur, ab eius dulcedine quandoque totus absorbetur. Obedientia enim, secundum Hieronymum, est ordo, quo omnium fidelium vita ordinatur, genitrix omnium virtutum, cibus omnium Sanctorum, & virtus omnium videntium. Quid enim est perfectæ obedientiæ exhibitio, nisi diuinæ similitudinis in nobis reparatio? à qua per inobedientiam protoparentes ceciderunt. Vnde dicit Richardus de sancto Victore, quòd inter omnia bona, quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum & principale bonum diuina voluntas esse cognoscitur in nobis, per quam diuinæ similitudinis imago reparatur.

De anime pulchritudine ex triplici imagine Dei, & de eius fontali origine, ad quam naturaliter aspirat. Cap. XIIII.

T Pulchra.

Præceptum
Dei duplex.

III.
Obedientia
vniõnis.

1. Cor. 6.

Pulchra es amica mea, suavis & decora. Cantic. 6. Quali diceret sponsus: O amica mea, quam amo amore amicitiae, non concupiscentiae, quam pulchra es, per naturam ad imaginem & similitudinem Dei condita, quam suavis es per gratiam, utpote per adoptionem diuinae gratiae, Spiritui sancto osculabilis iam effecta, & quam decora per virtutem, quasi perfecta Dei similitudine venusta, quia deiformibus virtutibus decorata: vel, pulchra, in agendo; suavis, in contemplando; & decora, in patiando. Primum igitur videndum est de naturali pulchritudine ipsius animae, de qua dicit Augustinus libro de diffinitione animae, quod anima est substantia creata, inuisibilis, immortalis, Deo simillima, nullam habens imaginem nisi Creatoris sui. Triplicem autem in se gerit imaginem, scilicet naturae, gratiae, & gloriae. Primo, gerit in se naturalem imaginem, secundum quod homo naturalem habet aptitudinem ad Deum intelligendum & amandum. Et haec est imago creationis, quae reperitur in omnibus hominibus, ut dicit Glossa super illud: Signatus est super nos lumen vultus tui Domine. Secundum hanc enim animam immediate & ex nihilo à solo Deo creata, capax est ipsius Dei: & ideo quicquid Deo minus est, animam implere non potest. Secundo, gerit in se imaginem gratiae, quae scilicet Deum cognoscit & diligit, quae dicitur imago recreationis, & reperitur tantum in iustis, in quantum scilicet per conformationem gratiae Deum actu cognoscunt & diligunt, quamuis imperfecte, quia ex alio. Tertio, gerit in se imaginem gloriae, quae perfecte Deum cognoscit & diligit immediate, & ex seipso: quae dicitur imago similitudinis, & solum est in beatis per gloriae conformitatem, in quantum Deum perfecte cognoscunt & diligunt in patria, quia immediate, & ex se, & in ipso. Nam ad hoc creata est, ut summum bonum intelligeret, intelligendo diligeret, diligendo possideret, possidendo frueretur. Unde sicut anima vegetabilis appetit esse, & sensibilis appetit bene esse; sic rationalis appetit optime esse, nec unquam quiescit, donec optimo coniungatur: quapropter vi amoris in Deum tanquam in centrum proprium motuetur, ut in ipso summe delectetur. Prædictæ verò tres animae in homine variae sunt in essentia, sed differunt in potentia: nec obstat, quod in homine successiue manifestantur. Hoc enim est à virtute formatiua, quae rationabiliter prius ad vitam disponit, quam ad sensum; & prius ad sensum, quam ad rationem, cum natura non simul, sed paulatim operatur. Sed hic de anima rationali duntaxat dicendum est, quae

Imago animae triplex.

Psal. 4.

secun-

secundum actus diuersos in scripturis multa sortitur nomina. Vocatur enim anima, quia corpus animat, id est, viuificat: vocatur animus, dum vult: mens, dum scit: memoria, dum recollit: ratio, dum rectum iudicat: spiritus, dum spirat: sensus, dum aliquid sentit, &c. Vnde Augustinus in lib. de spiritu & anima dicit: quod anima in quibusdam modis, vel actibus suis tota simul adest: nam tota videt, tota audit, tota sapit, tota odorat, tota tangit. Cum autem tota meminit, tota est memoria: cum tota cogitat, tota est cogitatio: cum tota vult, tota est voluntas: & cum tota diligit, tota est dilectio. Per dilectionem enim sibi Deus rationalem creaturam copulauit, ut Deum semper haberet, & in eo semper maneret, de eo & in eo semper delectans, gaudens, & exultans. Per dilectionem namque suo Creatori, & sibi inuicem rationalis creatura copulata est, solumque dilectionis vinculum est, quod ligat utrosque in idipsum per amoris Dei. Omnes enim adhaeremus Deo per amoris, & ad inuicem, nimirum cum sola charitas est via Dei ad homines, & hominis ad Deum, & per charitatem anima coniungitur Deo: siquidem est eius patria & habitatio, & fontalis origo, quia creata à Deo, vita à vita, simplex, immortalis, ut non longè sit à Creatore suo, cui appropriare videtur simplicitate essentiae, & perpetuitate vitae. Creatura est enim anima, magna à magno, recta à recto, bona à bono: eò magna, quò capax est aeternorum: eò recta, quò appetens est superiorum: eò bona, quò Deo vnita. Animam namque, quae pietas Dei respicit, humilitas subijcit, poenitentia reducit, iustitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, deuotio introducit, puritas iungit, charitas vnit. Haec Augustinus inter alia. Vnde anima ab omnibus libera & efficaciter inflammata, amoreque diuino inebriata, tam viuaciter aspirat ad suam unde profluit semel degustatam originem, ut quasi violenter attracta, quadam auiditate mirabili inhiare cogatur in idipsum, sanguinem & medullas hominis illius sua vigorositate consumens. O anima mea, unde profusus tuus sumpsit exordium? Nonne ex illa abyssu diuinitatis, velut essentia de essentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumen de lumine? sed creaturaliter, non essentialiter, non dea de Deo, sed deificata à Deo. Cuius tanta est conexio, tam excellens conuio, quòd nunquam est abolenda, nunquam in aeternum separanda. Sicut enim sol in sua rota, lux quadam est essentialis, radios suos dispergens ubique sine sui diminutione: quae licet radijs essentiam suam claritatis non communicat, aeternam tamen contiguitatem praestat, qua radios suos in esse

Animae nomina diuersa vnde.

Animae conditio quare sit dignitatis.

conferuat, ita quòd eodem momento, quo contiguitas illa dissipatur, etiam esse ipsius radij penitus euacuatur. Sic anima, profluxa ab ipsa diuinitatis abyſſo, quandam aternam contiguitatem, vnde conueruatur & alitur, cum origine ſua retinet, quam ſuper omnia completi & frui concupiſcit. Hinc (ſecundùm Auguſtinum lib. de ſpiritu & anima) tanta dignitatis eſt humana conditio, quòd nullum bonũ præter ſummum ſibi ſufficere poſſit. Plenũ itaq; fuit miraculo, quòd tam diuerſa & diuiſa, vt corpus & anima adinuicem coniungi potuerunt; nec minus mirabile fuit, quòd Deus ſeipſum limo noſtro coniunxit, vt ſibi inuicem vnirentur Deus & limus, tanta ſublimitas & tanta uilitas. Nec minus mirabile erit, cum homo & Angelus & Deus, vnus erit ſpiritus. Cùm etiã & corpus iſtud, quod nunc eſt oneri, tunc gloriſicatum merebitur ad conſortium bonorum ſpirituum, qui in ſua puritate perſtiterunt, exaltari, atque ad ſupernã gloriã participationem ſublimari. Subijciatur ergo nunc corpus animo, & animus Deo, & vnus ſpiritus erit cum eo, ſi tamẽ in humilitate permanſerit, & gratiam ſui Creatoris per gratitudinem agnouerit. Hæc Auguſtinus. Qui etiam in perſona Dei loquens, dicit ad animam: O anima mirabilis creatura, quò te deiſcis? terram amas? melior es: ſolem miraris? pulchrior es: cælum contemplaris? altior es: ſolo Creatore tuo inferior es. Si vis ergo progredi in me, exi totaliter de te, & introduc me in te, & traham te in me. Et ſic nec in te, nec in vlla creatura quicquam amabis, quicquam laudabis præter me.

Vt anima eſt creata ad Dei imaginem & ſimilitudinem, & quomodo reformatur ad illam virtutibus Theologicis. Cap. XV.

Genef. 1.
Imago Dei
in anima
q. 12.

Deut. 6.
Mat. h. 22.
Marc. 12.
Luc. 10.

Pulchra eſt amica mea, ſuauiſ & decora. Auguſtinus: Tanta dignitas humanæ conditionis eſſe dignoſcitur, quòd conſilio ſanctæ Trinitatis, & opere diuinæ maieltatis creatus ſit homo: creatus, inquam, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quod nulli alteri ex creaturis donauit. Nam licet anima ſit vnus nature, habet tamen in ſe tres vires, quæ deſignantur in illo præcepto: *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, id eſt, ex tota voluntate, & ex toto intellectu, ex tota memoria. Sicut enim ex Patre generatur Filius, & ex vtroque procedit ſpiritus ſanctus; ſic ex intellectu generatur voluntas, & ex his duobus procedit memoria. Nec anima poteſt eſſe perfecta ſine iſtis tribus. Et ſicut eſt Deus Pater, Deus Filius,